

INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (43)

4.14. De quaestione Tragoessiana eiusque sequelis

4.14.1. De praedio silvestri deque «Culturali Societate Tragoessiana»

Postquam nonnulla themata, quae imprimis ad regiones missionarias atque ad extentionem Congregationis spectant, usque ad munus Archiabbatis Norberti Weber finitum modo cohaerente tractavimus, iterum ad eventūs chronologicos in ipsā Archiabbatiā nos convertimus. Incohatur autem - etiamsi multi successūs exteriores tamen perpetrabantur - difficillimum capitulum historiae Ottiliensis, cuius effectūs Archiabbatiam et sic Congregationem quōque paene usque ad exitium duxissent et cuius sequelae atque effectūs posteriores per longum spatium temporis sentiebantur.¹ Coniuncti autem sunt illi eventūs graves - qui tempus muneris abbatialis Norberti Weber transgrediuntur - nomine «Tragöß».²

1 Itaque hōc thema etiam posterioribus in conexibus iterum iterumque tractandum erit.

2 Ea, quae acciderant, Ottilianis in fine erant tantopere commoventia, ut in posterioribus quōque generationibus solum nomen, quod est «Tragöß», effectūs timoris abhorrentiaeque evocavit, etiamsi tantummodo paucissimi omnes conexūs atque singulas res noverunt. Litteratura secundaria, quae dicitur, non nimis ampla est et thema solum paucis paginis complectitur vel breves adnotationes exhibentur in symbolis totam historiam succincte describentibus vel in lucubrationibus, quibus agitur de maioris momenti personis huius phasis historiae Ottiliensis. Paulo fusius in hanc quaestionem incumbunt solum Hartmut MADL: Coelestin Maier. Winzer (1999), pp. 243-277, cuius inquisitio huius thematis spatium temporis usque ad annum 1934^{um} complectit, quo Coelestino Maier hac in re agendum erat, et Cyrill SCHÄFER: Stella Maris. St. Ottilien 2005, S. 147-168, S. 173-177, qui hōc thema usque ad illud temporis momentum tractat, quo anno 1930^o coadiutor instituebatur. - E contrario materiae in archivo inveniendae sunt amplissimae et his temporibus praeterea nonnulla collectoria ex archivo administratorio Ottiliensi adiuncta sunt. Tamen Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöß (18.2.1942), S. 1 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1) scribit ipsa acta tempore socialismi nationalis - Ottilianis volentibus sive nolentibus - magna ex parte deleta esse. De qualibus documentis specialiter agatur, pro dolor non dicit. - Ad materias in archivo asservatas etiam pertinent nonnullae relationes, quas viri immediate hac re occupati conscripserant, velut typoscriptum iam commemoratum Chrysostomi Schmid; praeterea Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss. Persönliche Erfahrungen und Bemerkungen (18.6.1956) (ASO, A.4.2); Optatus PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöß. Exposé (1945/46) (ASO, A.4.2); Chrysostomus SCHMID: Ende der Tragösser Geschichte (17.9.1952) (ASO, A.4.2); Notker MANNHART: Bericht über den Verzicht des Forstgutes Tragöss-Oberort seitens des Kulturvereins Tragöss bzw. der Erzabtei St. Ottilien (17.6.1965) (AU, KON St. Ottilien). [Hōc locō

Quae autem erat condicio principalis, quae ad eventūs sequentes duxit? Uti ex variis conexibus iam descriptis scimus, ipsa Archiabbatia ut domus matrīx et hunc in modum etiam regiones missionariae numquam divitiis abundabant. Ottilianis semper diligenter actuoseque spectandum erat, unde pecuniam ad incepta propositaque sua sumere possent. Ad pecuniam acquirendam itaque annis vicesimis saeculi vicesimi etiam quaedam foundationes externae condebantur.³ Sed Archiabbatia tamen iterum iterumque coacta erat, ut pecuniarias summas minores aeris alieni susciperet, quibus proposita quaedam ad effectum adduceret, etiam incepta domuum dependentium.⁴ Rem gravius reddens accessit tota Germaniae condicio oeconomica, quae annis vicesimis vigeat.⁵ His circumstantiis generaliter difficilibus, quibus effectūs primi belli mundani, inflatio pecuniaria atque crisis oeconomica et itaque summa donorum minuta animadvertabantur, Archiabbas Norbertus Weber fontem securum stabilemque pecuniae accipiendae Archiabbatiae, Congregationi atque missionibus comparare voluit.⁶ Possibilitas quaedam ad hōc efficiendum

gratiae agenda sunt Abbati Emanueli Rutz OSB Helveticae Abbatiae Uznacensis, qui mihi hoc documentum P.ris Notkeri Mannhart atque alias epistulas commodavit.]

- 3 Cfr supra cap. 4.10.2.
- 4 Cfr de tali re ex.gr. Norberti Weber epistolam die 20 m. Iul. a. 1926 ad Congregationem Religiosorum directa (ASO, A.2.1.2), qua indultum petivit, cum compluries summas minores aeris alieni suscepisset (in summā 110.000 marcas), pro quibus nullam permissionem sibi acquisivisset. Praeterea Archiabbas anno 1926^o 100.000 marcas aeris alieni suscepit, quae summa Abbatiae Suarzacensi aedificandae destinata erat. - Utramque summam etiam commemorat Cyrill SCHÄFER (2005), p. 145, adn. 313.
- 5 Crisis oeconomica tamen non erat phaenomenon Germanicum, sed propter conexiones atque dependentias invicem vigentes toto in orbe terrarum percipiebatur.
- 6 Scitū dignae hōc in conexū etiam sunt adnotationes Norberti Weber, quas in epistolā die 28 m. Febr. a. 1926 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 420) protulit. Ibidem enim, quo loco agebatur de rogata fundatione in Islandia facienda, quam Norbertus Weber reiecit, leguntur haec: «*Potius nova fundatio non est facienda quam propter dubiam aliqua spei plena deserenda! Puto me conscientiā ductus esse obligatum, etiam contra opiniones sicuti ex missionibus nostris exsurgunt, ut foundationes faciam atque sustineam, quae destinatae sunt, ut in subsistentiae pecuniis missionum crescentium conquirendis adiuvant. In patriā multum sōli nobis amotum est. Pecunia accepta ex die Epiphaniae atque collectiones consociationum officialium, quae dicuntur, centralisationi subducta est in magnum detrimentum missionum.*» (Textus originaliter Theodiscus). Cogitatio principalis Norberti Weber hunc in modum clara fit. Nihilominus - ut videbimus - status loci Tragoessiani non ut fundatio stricte monastica percipi potest.



Hodierna vici tabula.



Indicium viarium in silvā appositum.

praeberi videbatur, cum Archiabbatiae Ottiliensi emptio alicuius praedii silvestris proponeretur. Agebatur de praedio silvestri in Austriacā Stiriā⁷ sito,⁸ cuius fundus ad regionem vicorum, qui sunt Voderberg, Rötz atque Tragöß,⁹ pertinebat et qui sub dicione administratoriā regionum Leobinae¹⁰ et Muripontis¹¹ erat. Eiusdem possessor baro Rudolfus von Leuzendorf, qui Vindobonae habitavit, emptorem huius praedii - ut videbatur urgenter - quaesivit. Hōc praedium silvestre, quod in montibus altissimis Stiriae situm erat, in summā in 10.426,03¹² hectaria extendebatur et patebat circumcirca

-
- 7 Stiria: *Steiermark*. - Cfr Carolus EGGER: *Lexicon nominum locorum*. Romae 1977, p. 298; GRAESSE / BENEDICT / PLECHL: *Orbis Latinus*. 3. Braunschweig 1972, p. 428.
 - 8 Frumentius RENNER: Norbert Weber. *In*: Adolf LAYER (ed.): *Lebensbilder aus dem Bayerischen Schwaben*. 11. Weißenhorn 1976, p. 344 falso Carinthiam* situm huius praedii esse indicat.
*) Carinthia: *Kärnten*. - Cfr Carolus EGGER (1977), p. 72; Georg Aenotheus KOCH: *Deutsch-Lateinisches Wörterbuch der alten, mittleren und neuen Geographie*. Leipzig 1835, p. 144.
 - 9 In fontibus atque in litteratura variae scripturae huius nominis localis inveniuntur. Sicuti autem - praeter alia - ex hodiernā tabulā vici atque aliis signis viariis apparet, recta scriptura est «Tragöß».
 - 10 Leobina: *Leoben*. - Cfr Carolus EGGER (1977), p. 178.
 - 11 Muripons, -ntis: *Bruck an der Mur*. - cfr Carolus EGGER (1977), p. 63; Georg Aenotheus KOCH (1835), p. 47. - GRAESSE / BENEDICT / PLECHL (1972) 3, p. 183: Pons Murae.
 - 12 Hōc est magnitudinis indicium omnino exactum, quod ex descriptione diei 8 m. Maii a. 1926 (ASO, A.4.2) apparet. Cfr etiam Hartmut MADL (1999), p. 244. - Aliquatenus rotundata indicatur area 10.425 hectariarum in emendi petitione diei 12 m. Nov. a. 1926 (ASO, A.4.2) et in arbitrio scripto consilarii saltuarii Dimitz mense Ianuario a. 1928 scripto (ASO, A.4.2). - Frumentius RENNER: Mutterabtei St. Ottilien und Entfaltung der

vicum Tragöß-Oberort. Principalis vero area praedii in occidente vici sita erat et trans montes, qui sunt Mesnerin atque Pribitz, atque tugurium alpestre, quod Sonnschien appellatur, in regionem Jassing, in altitudines Frauenmauer nuncupatae et in regiones Laming atque Hochturm extendebatur.¹³



Vetus charta geographica, qua areae praedii silvestris Tragoessiani indicantur.

Ad aream ergo pertinebant praeter silvas etiam agri, prata, pascua alpestris atque lacūs, praeter alios etiam «Lacus viridis» sic dictus, quo hodiernis quoque temporibus turistae attrahuntur. In vico Tragöß-Oberort, qui circiter triginta chiliometris a Muriponte distat et qui in altitudine octingentorum metrorum situs est, praeterea exstabat domus «sedes domini» appellata, quae supra vicum exstructa erat.¹⁴ Itaque tota area etiam breviter «praedium silve-

Kongregation. In: Leuchter 2 (²1992), S. 38; Frumentius RENNER: Norbert Weber. In: Adolf LAYER (ed.) (1976), p. 344 de magnitudine 11.000 hectariarum scribit; Johannes MAHR: Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, p. 166 et Godfrey SIEBER: The Missionary Benedictines of St. Ottilien. St. Ottilien 2016, p. 114 amplitudinem praedii silvestris fuisse 10.000 hectariarum indicant; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 147; Cyrill SCHÄFER: Benediktinische Kongregationen. In: Manfred WEITLAUFF (ed.): Das Bistum Augsburg im 19. und frühen 20. Jahrhundert. Augsburg 2008, p. 765; Cyrill SCHÄFER: St. Ottilien. In: Germania Benedictina. 2. St. Ottilien 2014, p. 1999 nulla indicia magnitudinis praebet.

13 *Cfr* ad extentionem indicia in emptionis contractū diei 26 m. Aug. a. 1927 (ASO, A.4.2), quae spectant ad varias areas in fundorum indice inscriptas. - Extentio possessionis imprimis in illius temporis charta geographica exhibita manifestatur, in qua termini praedii silvestris delineati sunt.

14 P. Notkerus Mannhart in epistulā quādam die 12 m. Febr. a. 1928 ad confratres suos Uznachenses directā (ASO, A.4.2) situm atque condiciones illius domūs descripsit.

stre Tragoessianum» nuncupabatur.¹⁵



Tabula geographica recentior regionis Tragoessianae.



Tabula geographica hodierna, quā viae ambulatoriae in regione Tragoessianā indicantur.

15 Administratio saltuaria praedii inveniebatur in vico Vordernberg.

Primum propositum ad praedium silvestre Tragoessianum suscipiendum videtur iam anno 1925^o praebitum esse.¹⁶ Et hōc propositō ipsa quidem



«Lacus viridis», qui dicitur, tempore aestivo receptus.


problemata iam incohabantur.¹⁷ Illo tempore P. Ludgerus Breindl¹⁸ erat cel-

16 Sic scribit Notker MANNHART: Bericht über den Verzicht (17.8.1965), p. 1 (AU, KON St. Ottilien). - Consultationes iam tam mature incohatas esse apparet etiam ex scripto, quod est «Ankauf des Waldgutes Tragöß», p. 1 (ASO, A.4.2), ubi legitur colloquia iam ex sesquialterum annum institua esse. Hōc typoscriptum non est quidem nomine signatum, sed ex argumentis monstratur idem verisimiliter a P. tre Ludgero Breindl ad sessionem capituli diei 12 m. Nov. a. 1926 compositum esse, in quā de emptione praedii silvestris rettulit. Cfr de hac re etiam Acta Capituli, 12.11.1926 (ASO, A.3.3.5).

17 Historia praedii Tragoessiani multis atque multiplicibus ex causis inde ex eius initiis satis intricata est. Hōc unā ex parte cohaeret cum quaestionibus contractuum, alterā ex parte cum personis rei involutis atque cum quaestionibus pecuniae erogandae et sic porro. Accedit, quod propter pecuniam solvendam, propter aes alienum dissolvendum etc. summae pecuniariae, quae variis nummis (marcis Germanicis, scellinis Austriacis, aureis Nederlandicis, francis Helveticis) in documentis indicantur, iterum iterumque computandae adaptandaeque sunt.

18 P. Ludgerus Breindl natus erat die 18 m. Ian. a. 1883 in vico Pöttmes in dioecesi Augustana sito. Vota sua protulit die 8 m. Oct. a. 1905 in Abbatia Ottiliensi et sacerdotio auctus est die 30 m. Maii a. 1909. Die 19 m. Iul. a. 1909 emissus est in missionem Africae Orientalis, unde die 22 m. Nov. a. 1919 revertit. Die 31 m. Ian. a. 1973 idem Landsbergae

lerarius Archiabbatiae. Idem itaque verisimiliter erat primus, quocum contactus iungebatur,¹⁹ et hac cogitatione, quā praedio silvestri empto atque ligno propriis operibus tractato Archiabbatiae missionique magna emolumenta pecuniaria efficerentur, tantopere correptus erat, ut propositum Archiabbati Norberto Weber ut utilissimum proferret.²⁰ Cum Archiabbas cellerario suo confideret, hōc inceptum suscepit, imprimis cum ipse quōque possibilitates quaereret, quibus fundamentum stabile variorum officiorum Congregationis ponere posset. P.ri Ludgero Breindl inde ab initio et etiam decursū temporis insequentis omnino persuasum erat emptionem totumque propositum emolumenta atque utilitatem habere et itaque rem valde vehementerque commendavit.²¹



*P. Ludgerus Breindl.
[ASO, A.1.1 (PA Breindl).]*

Ipse P. Ludger deinde magnā ex parte etiam disceptationes cum barone Rudolfo von Leuzendorf eiusque delegatis iniit.²² Fundamenta horum colloquiorum primo erant duae relationes. Prima est facta ab aliquo magistro saltuario nominis Hümmer, qui erat officialis baronis Theodori von Cramer-Klett et qui in sententiā suā prolatā verisimiliter nitebatur indiciis magistri saltuarii nominis Etzelt, qui ipse erat officialis Rudolphi von Leuzendorf.²³ Alteram relationem mense Maio a. 1926ⁱ composuerat ipse magister saltua-

vitā functus est. (Necrol. 2015, nr 806, p. 82; ASO, A.1.1 (PA Breindl)).

19 Quomodo et per quem ille contactus iunctus sit, non est notus.

20 *Cfr* Hartmut MADL (1999), p. 244; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 147.

21 Ivo AUF DER MAUR: P. Notker Mannhart (2009), p. 5 (ASO, A.1.1 (PA Mannhart)) videtur errare, cum initium calamitatis ex incepto Tragoessiano exortae P.ri Aloisio Seibert adscribat. Nam initiator huius rei sine dubio erat P. Ludger Breindl.

22 Martinus Malter in epistulā die 22 m. Nov. a. 1926 ad Thomam Spreiter directā (ASO, Z.3.0.1) commemoravit P.rem Ludgerum Breindl inde ex mense Aprili eiusdem anni cum barone Austrio propter praedium disceptare. - *Cfr* etiam Notker MANNHART: Bericht über den Verzicht (17.8.1965), p. 1 (AU, KON St. Ottilien).

23 Quod multa enuntiata magistri saltuarii Hümmer nitebantur indiciis magistri saltuarii Etzelt, apparet ex relatione consiliarii saltuarii Dimitz, quam idem mense Ianuario a. 1928 Benedictinis conspicerat (ASO, A.4.2). - Ipsa relatio magistri saltuarii Hümmer pro dolor non iam exstat.

rius Etzelt.²⁴ In relatione magistri saltuarii Hümmer valorem realem totius praedii esse 17.000.000 miliones marcarum indicabatur,²⁵ sed baro Rudolfus von Leuzendorf idem pro 7.000.000 scellinis Austriacis vendere voluit,²⁶ ut dicebatur propter benevolentiam Rudolphi von Leuzendorf.²⁷ Propter magnam differentiam illarum summarum Ottilianis revera necessario iam stupendum fuisset. Praeterea in rebus negotialibus non expectandum est venditorem ex purā «benevolentia» tantummodum circiter quadrantem valoris realis alicuius rei ut pretium emptionis postulare.

Ex variis indicibus relationibusque demonstratur totam possessionem praedii silvestris Tragoessiani compositam fuisse hunc in modum: 5504 hectaria silvarum, 2091 hectaria areae non productivae (velut regiones montanae supremae), 2256 hectaria pascuorum alpestrium, 378 hectaria agrorum, 10 hectaria lacuum, 6 hectaria arearum aedificia continentium.²⁸ Ipsae silvae inter se distinguendae erant et constabant ex 4120 hectariis silvae oeconomicae negotialisque, ex 672 hectariis silvae integrae²⁹ et ex 712 hectariis silvae

24 *Cfr* Exposé, 8.5.1926 (ASO, A.4.2). - Illas expositiones, quibus nomen non est inditum, magistrum saltuarium Etzelt composuisse apparet ex scripto, cui titulus «Ankauf des Waldgutes Tragöß», p. 1 (ASO, A.4.2), quod P. Ludgerus Breindl verisimiliter pro capituli sessione diei 12 m. Nov. a. 1926 conscripserat, et ex relatione, c.t. «Gutachten des Bayer. Waldbesitzerverbandes», 28.7.1927 (ASO, A.4.2). - *Cfr* etiam Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1958), S. 6 a (ASO, A.4.2).

25 Hanc summam Norbertus Weber exhibuit in petitione suā ad Congregationem religionum directā, quae verisimiliter in fine mensis Iulii a. 1927 tradita est (ASO, A.4.2). Exactus terminus huius petitionis non potest dari. - *Cfr* etiam Optatus PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöß (1945/46), p. 2 (ASO, A.4.2). - Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), S. 3 (ASO, A.4.2) scribit de 16.000.000 marcarum. - Hartmut MADL (1999), p. 244 et Cyrill SCHÄFER (2005), p. 147 valorem aestimatum 18.000.000 marcarum indicant. Hic valor aestimatus etiam invenitur apud Ludgerum BREINDL: Ankauf des Waldgutes Tragöß (1926), p. 4 (ASO, A.4.2).

26 Haec erant secundum illius temporis transnumerationem (1 öS = 0,59 RM) 4.130.000 marcarum.

27 Norbert Weber: Eingabe an die Religiosenkongregation (ASO, A.4.2): «*ob benevolentiam*».

28 *Cfr* Exposé, 8.5.1926 (ASO, A.4.2); Gutachten Dimitz, m. Ian. a. 1928 (ASO, A.4.2).

29 «Silva integra»: *Plenterwald*. Hic terminus derivatur a verbo linguae Francogallicae veteris, quod est *plentier*, id est plenus, integer. Huiusmodi silvā significatur modus administrandi colendique, qui saeculo duodevicesimo in regionibus montanis Europae mediae exortus est. Tali in silvā inveniuntur arbores omnium aetatum atque omnium generum altitudinis intra aream relative parvam. Ad eā utendum tantummodo arbores singulae caeduntur, cum amoveantur arbores ad caedendum maturae, quae insuper aliis

tutelar^{is},³⁰ id est ultimae duae categoriae non sive solum cum exceptione oeconomice adhiberi potuerunt.³¹ Ut silva oeconomice adhiberi posset, annis 1921^o et 1922^o tres funiviae instructae erant, quibus transportatio arborum caesarum in vallem (et ad serratrin^{as}) facilitaretur. Praeterea in vicis circumcirca sitis ad primam tractationem ligni nonnullae serrae exstabant.

Sub fundamento computationum relationumque, quae ei praebitae erant, P.ri Ludgero Breindl persuasum erat se negotium excellentissimum acturum esse atque redditum ex praedio silvestri accepturum esse, quo Archiabbatia in futurum omnibus curis pecuniariis liberata esset. Tamen in hac eius aestimatione quaedam problemata exstabant. Unā ex parte nitebantur computationes lucri exspectandi indiciis non correctis. Hac in re videtur magister saltuarius Hümmer imprimis enuntiata officii saltuarii Leuzendorfiani, id est magistri saltuarii Etzelt, secutus esse.³² Hunc in modum baroni et eius officio saltuario opprobrium doli consulto exhibiti dari potest, magistro saltuario Hümmer saltem opprobrium diligentiae mancae.³³ Alterā ex parte P. Ludgerus Breindl neque erat specialista rerum pecuniariarum neque specialista oeconomiae saltuariae, quā de causā credulus atque desiderio suo correptus omnia, quae ex parte venditorum prolata sunt, ut realia accepit.³⁴ Tamen mirandum quōque est, cur ex parte Ottilianorum iam illo temporis

lucem demunt. Scopus est in eo, ut hunc in modum usus perpetuus fiat atque indigentiae ligni in diuturnum tempus suppeditetur.

- 30 Silva tutelar^{is} in regionibus montanis appellatur talis silva, quae tutelam praebet a casū lapidum, a lapsū terrae atque a labinis nivalibus et quae insuper magni momenti est, ut tutela contra inundationes fiat.
- 31 Exstat descriptio alicuius partis epistulae, quam P. Notkerus Mannhart die 9 m. Sept. a. 1928 conscripserat (ASA, APr 595) (ad quem eadem directa fuerit, non satis clarum est, verisimiliter erat Abbas Primas) et quā magnitudinem atque dispositionem praedii explicuit. Scitū autem dignae sunt adnotationes adiunctae illius hominis, qui epistolam descripserat et qui in areā computandā repperit plus quam dimidium praedii esse aream non productivam.
- 32 Hōc manifestatur relatione consiliarii saltuarii Dimitz mense Ianuario a. 1928 scriptā (ASO, A.4.2).
- 33 Tamen erat fortasse plus quam diligentia manca. Nam Ludger BREINDL: Ankauf des Waldgutes Trgöss (1926), p. 4 (ASO, A.4.2) scripsit magistrum saltuarium Hümmer «in loco iurisiurandi» asseveravisse valorem realem praedii 18.000.000 marcarum esse.
- 34 Spem lucri in relationibus nimiam aestimatam fuisse adnotat etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 147; Cyrill SCHÄFER: Benediktinische Kongregationen. In: Manfred WEITLAUFF (ed.) (2008), p. 765; Cyrill SCHÄFER: St. Ottilien. In: Germania Benedictina. 2 (2014), p. 1999.

momento nemini in mentem venerit propriam existimationem faciendam curare.³⁵

Tamen primo consultationes de emptione non nimis celeriter progressas esse atque propter res minores quadamtenus retardatas esse.³⁶ Nihilominus res ulterius tractabatur. Responsales itaque etiam modum progrediendi excogitarunt, quo et emptionem praedii silvestris et eius administrationem posteriorem facilitare voluerunt. Eā de causā «Culturalis Societas Tragoessiana», quae dicitur, condita est.³⁷ Cogitatum erat Societate «saeculari» in Austria inscriptā ut personā iuridicā unā ex parte Archiabbatiam ut a Societate separatam personam iuridicam collegialem extra obligationem mansuram esse, alterā ex parte hunc in modum licentiam magistratuum statalium ecclesiasticorumque acquirendam vitari posse, quae in fundatione iuris ecclesiastici faciendā necessaria fuisset.³⁸ Praedium silvestre ergo emeretur ab «Culturali Societate» et sub eius nomine administraretur.³⁹

Kalendis Iuniis a. 1926ⁱ Societatis sodales illius temporis Monaci conveniant, ut «Culturalem Societatem Tragoessianam» constituerent atque eius Statuta conderent.⁴⁰ Tunc ad Societatem pertinebant quattuor Patres Ottilienses atque quinque personae saeculares, nempe Archiabbas Norbertus Weber, P. Ludger Breindl, P. Dr Laurentius Kilger, P. Macarius Spitzig, Franciscus

35 Etiam Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1958), p. 3 (ASO, A.4.2) iure meritoque quaestiones criticas ponit, cur nullae quaestiones in monasteriis circumcirca sitis atque in episcopali ordinariātū Gradiensi exhibitae sint, ubi homines his in rebus experti erant, et cur nullae quaestiones de barone Rudolfo von Leuzendorf in argentariis positae sint. Nam postea apparuerat illum baronem apud argentariam Vindobonensem aes alienum 2.000.000 scellīnorum Austiacorum contraxisse.

36 Hōc commemorat ex.gr. Ludger BREINDL: Ankauf des Waldgutes Tragöß (1926), p. 1 (ASO, A.4.2).

37 Generaliter de societatibus condendis illius temporis *cfr* Reichsgesetzblatt für das Kaiserthum Oesterreich 1867, Nr. 134, Gesetz vom 15.11.1867 über das Vereinsrecht. - De fundatione «Culturalis Societatis Tragoessianae» *cfr* Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1958), p. 6 (ASO, A.4.2); Optatus PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöß (1945/46), p. 1 (ASO, A.4.2). - In secundariā litteraturā posteriore «Culturalis Societas Tragoessiana» vix sive non commemoratur.

38 *Cfr* Optatus PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöß (1945/46), p. 1 (ASO, A.4.2).

39 Haec constructio «Culturalis Societatis» postmodum problemata praebitura erat. - Optatus PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöß (1945/46), p. 1 (ASO, A.4.2) fundationem Societatis coniungit cum termino, qui est «sinceritas manca».

40 Optatus PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöß (1945/46), S. 1 (ASO, A.4.2) per errorem indicat «Culturalem Societatem» anno 1927^o esse conditam.

[Franz] G. Ledochowski, Cárolus [Karl] Weiss, Dr Cárolus [Karl] Weiss, Ignatius [Ignaz] Pichler, Maximilianus [Max] Elling.⁴¹

Statutis, quae die, quō coetus convenerat, conficiebantur, sedem Societatis constituebatur vicus Tragöß-Oberort. Finis Societatis esse indicabatur, ut «*éadem tota tantummodo se conferret, ut scopis rerum culturalium, socialium, utilitatis communis misericordiaeque servientibus faveret atque eos sustentaret*».⁴² Sed specialiter indicabatur imprimis favor cogitationis missionariae insimul respectum iri.⁴³

Scitu digna sunt ea, quae de Societatis pecuniā acquirendā dicuntur.⁴⁴ Primo loco hic asseveratur ad Societatem instituendam 3,5 milliones marcarum adesse. Sed haec pecunia illo temporis momento nondum vere ad manum erat. Praeterea haec summa indicata plus minusve erat eadem ac pretium, quod ad praedium emendum erogandum erat. Hōc significat fundamentum pecuniarium «Culturalis Societatis» ab initio fuisse omnino nullum. Accepta currentia exspectabantur - sic saltem annuntiabatur - ex officinis velut institutis educatoriis vel possessionibus agriculturae silviculturaeque et ex divulgationibus librorum periodicorumque recipi. Sed etiam hic iam adnotatio critica est proferenda. Nam officinis agriculturae silviculturaeque hōc in conexū tantummodo praedium silvestre Tragoessianum significari potuisse,⁴⁵ cuius redditum revera nondum notum erat, instituta educatoria commemorata erant seminaria Ottiliensia, quibus parva pecunia, quam acceperunt, ipsis erat necessaria, et accepta ex rebus divulgatis statim ad missionem sive ad Archiabbatiam sustentandam adhiberentur oportebat.

Praeterea in Statutis etiam structura Societatis constituebatur, cui ut organa habuit praesidium atque coetum sodalium. Magni momenti quod attinet ad praesidium sunt haec:⁴⁶ constabat idem ex praeside primario atque secunda-

41 Nomina sodalium manifestantur subscriptionibus, quae leguntur infra Statuta Kal. Iun. a. 1926 condita (ASO, A.4.2 (Akte Derfler)) et infra protocollum coetus sodalium Kal. Iun. a. 1926 subscriptum (ASO, A.4.2 (Akte Derfler)).

42 Satzungen des «Kulturvereins Tragöß» (1.6.1926), III § 3 (ASO, A.4.2 (Akte Derfler)). - Textus originaliter Theodiscus.

43 Sub § 3 a)-c) Statutorum (ASO, A.4.2 (Akte Derfler)) illi scopi specialiter missionarii singillatim enumerantur.

44 Cfr § 3 d) Statutorum (ASO, A.4.2 (Akte Derfler)).

45 Praedium Vassobrunnense ut alia agricultura, quam Ottiliani possidebant, ad aliud ineptum nihil attribuere potuisset.

46 Cfr § 5 A) Statutorum (ASO, A.4.2 (Akte Derfler)).

rio, qui uterque a coetu sodalium eligebatur. Praeses primarius repraesentabat «*Societatem suo iure ante tribunalia et extra eadem*», sed potuit «*totum moderamen administrationemque Societatis*» praesidi secundario tradere, qui generaliter, si necessarium erat, praesidis primarii «*vicegerens omnia iura habens*» erat.⁴⁷

Hac primā sessione constitutivā non solum Statuta accepta sunt, sed etiam praesidium eligebatur. Ex hac electione praeses primarius Archiabbas Norbertus Weber et praeses secundarius P. Ludger Breindl ēvēnit.⁴⁸ Hōc in conexū tamen interrogandum est, quam separatae potuerint esse illae duae personae iuridicae «*Culturalis Societas*» atque Archiabbatia Ottiliensis, cum Archiabbas ut moderator Abbatiae etiam praeses primarius Societatis esset. «*Culturali Societate*» conditā itaque proximus gressus ad praedium silvestre emendum factus erat.⁴⁹ Tamen «*inceptum Tragoessianum*» in conventū Ottiliensi vix notum erat, cum praeterea notitiae concretae non darentur.⁵⁰ Verisimiliter primā vice, quā de hac re in aliquā sessione capituli sermo fiebat, erat sessio diei 20^o m. Iul. a. 1926^o. In sessionis autem relatione in conexū «*Culturalis Societatis Tragoessianae*» adnotabatur Archiabbatiam «*nullam obligationem in quaestione Stirianae, praedii silvestris, suscipe-*

47 In paragraphis sequentibus tractabantur praeterea coetus sodalium (§ 5 B), quaestio mutationis Statutorum atque dissolutionis Societatis (§ 6) et progrediendi modus, cum rixa quaedam intra Societatem exoriretur (§ 7). (Textus originaliter Theodiscus).

48 Cfr Protokoll der Mitgliederversammlung, 1.6.1926 (ASO, A.4.2 (Akte Derfler)).

49 Die 4 m. Iun. a. 1926 officialiter rogatum est, ut «*Culturalis Societas*» in repertorio societatum inscriberetur et die 25 m. Iul. a. 1926 fundatio huius Societatis «*non interdicta*» est (cfr documenta ASO, A.4.2 (Akte Derfler)).

Iam die 5 m. Iul. a. 1926 P. Ludger Breindl ad confratrem quendam scripsit haec (ASO, A.4.2): «*Res Stiriana nunc paene absoluta est, usque ad contractum subscriptum omnia sunt facta. Haec vero mox fiet.*» (Textus originaliter Theodiscus). - Hae sententiae sunt quidem optimismi plenae, sed nihilominus aliquatenus procul a realitate, cum illo momento temporis nullo modo omnia erant confecta.

50 Praeter Archiabbatem atque P.rem Ludgerum Breindl plus minusve aliquid sciverunt etiam P. Laurentius Kilger atque P. Macarius Spitzig, qui sodales «*Culturalis Societatis*» erant, praeterea Prior P. Martinus Malter, ut ex eius commercio epistulari cum Thoma Spreiter, Bonifatius Sauer atque Gallo Steiger apparet. - Suspiciari tamen possumus eos, qui saltem aliquid sciverunt, hoc etiam aliis confratribus communicavisse. Sed illae notitiae erant neque amplae neque profundae et insuper solum ex uno fonte provenientes. Alterā ex parte interrogandum est, quot confratres fuerint, quorum revera talia incepta interfuerint.

re».⁵¹ Plura de hac re illo loco non comperiuntur, sed ex verbis adhibitis suspicari licet etiam tunc temporis iam actum esse de cautione praebendā. Illo autem temporis momento conventus quoad pecuniam videlicet se retinere voluit. Tamen hōc non significat participes sessionis contra ipsam emptionem generaliter aliquid improbandum habuisse.

Consilium - vel potius spes - erat in eo, ut «Culturalis Societas» responsalitate propriā emptionem praedii silvestris transigere atque pecuniam necessariam erogare posset. Sed haec spes satis celeriter evēnit error. Nam cum «Culturali Societati» nulla pecunia propria esset, ad rem emendam pecuniae creditae ei suscipiendae erant, quas tamen non accepit, quia satisfactiones praebere non valuit. Hunc in modum Archiabbatia denuo erat rogata.

In capituli sessione diei 12^o m. Nov. a. 1926^o itaque P. Ludgerus Breindl inceptum denuo proposuit suo modo, ut conventum ad cautionem praebendam commoveret. Modum suum progrediendi in antecessum conscripserat, ita ut eius argumenta exhibita legi possent.⁵² Ut inceptum proponeret, conventui plura documenta praebuit, nempe 1) «descriptio praedii a praesente magistro saltuario Etzelt facta», 2) «fidei declaratio possessoris quoad sententias magistri saltuarii sui», 3) «testimonium domini Höfer a Bavarica argentaria hypothecaria missi et aestimatio praedii ampla ab domino Hümmer magistro saltuario baronis Cramer-Klett facta», 4) «diudicatio atque aestimatio domini Hoffmann, qui regimini Bavaricae Consociationis Possessorum Silvarum praepositus est»,⁵³ 5) «aestimatio magnae officinae lignorum tractandorum Fratrum Hörsch Monacensium», 6) «declaratio huius officinae se venditionem (ligni) atque huius rei periculum suscepturam esse», 7) «aestimatio quoad periculum condicionis politicae in Austria vigentis», 8) «computationes condicionis lucrosae».⁵⁴

Cum haec documenta praebita aspiciantur, in nonnullis eorum interrogari potest, quam valida fuerint, quod attinebat ad existimationem obiectivam illius praedii silvestris. Descriptio magistri saltuarii Etzelt aestimatione

51 Acta Capituli, Sessio 20.7.1926 (ASO, A.3.3.5). (Textus originaliter Theodiscus).

52 Cfr Ludger BREINDL: Ankauf des Waldgutes Tragöß (1926) (ASO, A.4.2).

53 Hōc locō adnotatur aestimationem esse «*effectus sententiarum in colloquio stenographice receptarum*». (Textus originaliter Theodiscus).

54 Ludger BREINDL: Ankauf des Waldgutes Tragöß, S. 1 (ASO, A.4.2). - Praeter praedii descriptionem a magistro saltuario Etzelt factam documenta enumerata in archivo non iam inveniuntur. Secundum Optatum PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1958), S. 6 (ASO, A.4.2) aestimatio magistri saltuarii Hümmer anno 1930^o iam non inter acta erat.

alterius partis non exhibitā non revera aliquid dixit, cum esset magister saltuarius baronis possessoris. «Fidei declaratio» Rudolphi von Leuzendorf ad enuntiata magistri saltuarii sui etiam est satis invalida, quia possessor ipse certe cavebat, ne indicia subditi sui falsa esse diceret, cum ageretur de emolumento suo. De aestimatione delegati argentariae suspicio est eandem solum indiciis magistri saltuarii Etzelt niti. Hoc sic se habuisse in aestimatione magistri saltuarii Hümmer consiliarius saltuarius Dimitz postea demonstravit. Notitiae stenographicae, quae ex colloquio privato exortae erant, ut aestimatio percipi non possunt; eadem itaque etiam adhiberi non possunt. Aestimatio positiva officinae Hörsch quōque non potest esse fundamentum decernendi, cum suspicio est eandem magnā ex parte exhibitam esse spe magnarum copiarum ligni praebendarum ducta.⁵⁵

Quomodo autem tunc P. Ludgerus Breindl conventum ad praedium silvestre emendum allicere conatus est? Primo demonstrare voluit argentariam hypothecariam Monacensem illas 1,2 millones marcarum ad partem pretii solvendam dare paratam esse, si quis cautionem pro hac summā pecuniariā praebiturum esset.⁵⁶ Hoc in cenexū revera tantummodo monasterium Ottiliense in quaestionem vēnit.⁵⁷ Iam hōc locō P. Ludgerus totam rem sine ullo periculo esse declaravit, id quod decursū explicationum suarum compluries iteravit.⁵⁸ Deinde ostendere conatus est, cur susceptio pecuniae creditae atque fideiussio⁵⁹ sine periculo esset. Nam praedium silvestre, in quo emptione factā immediate opera incohari possent, propter veteres arbores magnā qualitate praeditas statim atque ad minimum viginti quinque annos lignum bene vendibile praestaturum esse. Structurā funiviarum atque serratrinarum modo vilissimo productionem fieri posse. Officina Hörsch quotannis minimum 20.000 metra cubica lignorum sumpturam esse atque venditionem ligni

55 Similiter nonnulla huiusmodi puncta etiam diiudicat Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1958), p. 6 a (ASO, A.4.2).

56 Cfr Ludger BREINDL: Ankauf des Waldgutes Tragöß, S. 1 (ASO, A.4.2).

57 Ex nonnullis adnotationibus P.ri Ludgeri Breindl apparet contractum emptionis quoad condiciones solvendi iam antea exaratum fuisse. - De hōc factō cfr etiam Norberti Weber scriptum die 12 m. Nov. a. 1926 ad Rudolfum von Leuzenberg directum (ASO, A.4.2).

58 Secundum eius sententiam prolatam haec etiam erat persuasio omnium aliorum, qui in hanc rem incubuerunt.

59 fideiussio, -onis f.: *Bürgschaft*. - Cfr Johann Paul BAUER: Lexicon terminorum iuridicorum et politicorum nostrae aetatis. Saarbrücken 2008, p. 103. - Etiam «cautio» dici potest. Cfr ThLL III 712,39 sqq.

praestaturam esse.⁶⁰ Duobus autem locis P. Ludgerus Breindl insuper asseveravit secundum computationes peritorum quotannis lucrum merum 500.000 marcarum exspectatum iri, immo 750.000 marcarum, postquam usurae solvendae fuerunt demptae.⁶¹ Hunc in modum contingere posse, ut iam post tres quattuorve annos pecunia credita persoluta esset.⁶² Postquam pessimam condicionem pecuniariam Congregationis omnibus in eius partibus demonstravit, denuo explicuit lucrum merum exspectandum significare redditum quattuordecim centesimarum sive viginti unius centesimarum.⁶³ Essentiam omnium argumentorum scilicet erat, cum emptio praedii ab aliis peritis quodque interrogatis «*emptionem occasionalem specialiter opportunam*»⁶⁴ appellaretur, praedium silvestre sibi non comparare esse «*grave peccatum omissionis*».⁶⁵

P. Ludgerus Breindl argumenta sua modo satis persuasivo protulisse videtur. Nam in suffragiis die 12^o m. Nov. a. 1926^o ferendis maior pars praesentium votum ad cautionem praebendam protulit. Agebatur de relatione suffragiorum vinginti tria ad decem.⁶⁶

Cum explicationes et argumenta P. ris Ludgeri sobrie spectemus, tamen de nonnullis rebus mirari possumus, quibus dubitationes quaedam, quod attinet ad sinceritatem incepti, excitantur. Primo iterum nominanda est illa magna differentia inter valorem aestimatum atque pretium emptionis. Suspiciosa praeterea est computatio lucri meri 500.000 marcarum ex oeconomia silvestri accipiendi, quod usuris pecuniae creditae demptis insuper in 750.000 marcarum augeretur. Is, qui redditum quattuordecim centesimarum sive viginti unius centesimarum fieri credit, videtur in rebus pecuniariis animum satis

60 Ludger BREINDL: Ankauf des Waldgutes Tragöb, S. 1 f. (ASO, A.4.2).

61 Cfr Ludger BREINDL: Ankauf des Waldgutes Tragöb, S. 2, S. 4 (ASO, A.4.2).

62 Cfr Ludger BREINDL: Ankauf des Waldgutes Tragöb, S. 4 (ASO, A.4.2). - Ut speciale incitamentum P. Ludgerus Breindl praeterea attentionem vertit ad agriculturam atque culturam pascuorum ad praedium silvetre pertinentes, ex quibus alia emolumenta magna exspectavit.

63 Cfr Ludger BREINDL: Ankauf des Waldgutes Tragöb, S. 4 (ASO, A.4.2).

64 Ludger BREINDL: Ankauf des Waldgutes Tragöb, S. 2 (ASO, A.4.2).

65 Ludger BREINDL: Ankauf des Waldgutes Tragöb, S. 4 (ASO, A.4.2).

66 Cfr Acta Capituli, 12.11.1926 (ASO, A.3.3.5). - Cfr etiam Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöb (18.6.1958), S. 4, S. 6 (ASO, A.4.2). - Diem illius consilii ab conventu capti commemorat quoque Johannes MAHR: Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), S. 166.

simplicem habere. Lucra autem atque emolumenta, quae P. Ludger ex agricultura atque cultura pecudum accipienda praevidit etiam satis exaggerata fuisse videntur. Insuper - quod etiam non est obliviscendum - sumptūs pecuniae collocandae, sumptūs praedii administrandi, sumptūs operariorum etc. nullo verbo commemorantur.

Itaque quaestio nunc ponenda est, cur conventus omnino cautioni praebendae et hunc in modum emptioni praedii silvestris assensus sit. Plerique certe non nimis multum de rebus pecuniariis intellexerunt, quia ad hanc rem non erant specialiter eruditi. Tamen nonnulli sanam mentem suam supressisse videntur, cum imago, quod eis depicta est, tam positiva esset et tota res tantum lucri promitteret.⁶⁷ Praeterea nonnulli suffragia ferentes responsalitates suae non satis conscii fuisse et - sicut prīstinus confrater existimavit⁶⁸ - oboedientiā falso modo intellectā incepto assensus esse videntur, de quo putaverunt Archiabbatem idem velle.

Quidam participes sessionis tamen votum rogationem abnuens protulerant. Scilicet non satis certo scimus, qui vota contraria exhibuerint, cum eventus suffragii non nominatim descriptus sit, cum ipsum suffragium verisimiliter secreto modo transactum sit. Tamen saltem duas personas novimus, qui inceptum non solum sceptice aspexerunt, sed - ut ipsi dixerunt - etiam aperte disuaserunt. Unus ex illis erat P. Optatus Pfäfflin,⁶⁹ alter erat P. Notkerus Mannhart.⁷⁰ Uterque postea directe in hanc quaestionem incumbere coactus

67 Johannes MAHR: Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 166 putat redditum promissum tam magnum fuisse, ut multi dubitationes suas ponerent.

68 Cfr Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1958), p. 4 (ASO, A.4.2).

69 Cfr Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1958), p. 3 (ASO, A.4.2), qui scribit se inde ab initio contra hōc inceptum se vertisse.

70 Cfr Notker Mannhart: Über den Verzicht des Forstgutes (17.8.1965), S. 1 (AU, KON St. Ottilien), ubi legitur ipsum in conventūs sessionibus officialibus adversarium propositi fuisse. Tamen P. Notkerus Mannhart inde ab mense Septembri a. 1926ⁱ Uznachii versabatur, quā de causā suffragium in Archiabbatiā mense Novembri a. 1926ⁱ habitum non participavit. P. rem Notkerum iam mature dubitationes propter inceptum Tragoessianum protulisse manifestatur epistolā Norberti Weber die 23 m. Ian. a. 1928 ad eum directā (ASO, A.4.3), quā Archiabbas confitetur P. rem Notkerum monitis suis recte dixisse. Ipse P. Notker epistolā die 14 m. Mart. a. 1928 ad Norbertum Weber missā (ASO, A.4.2) explicuit dubitationes suas non contra inceptum Tragoessianum ipsum directas fuisse, sed contra facultates P. ris Ludgeri Breindl, cum ipse dubitavisset, quominus ille tam magnum propositum ad effectum ducere aptus esset.

erat. Fortasse etiam Prior P. Martinus Malter ad illos pertinebat, qui contra cautionem praebendam votum tulerunt.⁷¹

Tunc temporis tamen decretum factum erat.⁷² Eōdem die, id est die 12^o m. Nov. a. 1926^o, Archiabbas Norbertus Weber nomine «Culturalis Societatis» Baroni Rudolfo von Leuzendorf scriptum misit, quo baroni praedium silvestre Tragöß-Vorderberg emere obtulit sub fundamento alicuius contractūs praedispositi diei 3ⁱ m. Sept. a. 1926^o, qui tamen nonnullis in punctis mutaretur.⁷³ Mutationes in eo constabant, ut emptionis pretium - aliter ac in initio mensis Septembris - non iam 8.000.000 scellīnorum Austriacorum, sed 7.000.000 scellīnorum esset. Ex hac summā ante contractum definitivum subscriptum summa 2.000.000 scellīnorum Rudolfo von Leuzendorf pecuniā numeratā tradenda esset.⁷⁴ Summae pars 1.000.000 scellīnorum «pretio naturali», id est regione venationis praebitā, reddenda erat. Reliquum 4.000.000 scellīnorum unā cum usuris per partes solvendum erat certis intervallis temporalibus.⁷⁵ Hoc scriptum postmodum «contractus praevious», qui dicitur, appellabatur.

Inde ex hōc temporis momentō eo magis necessarium erat, ut reliqua pecunia ad praedium emendum acquireretur. Hōc videlicet non tam facile erat, ut putabatur. Has aliasque res cum incepto Tragoessiano cohaerentes curare erat officium P.ris Ludgeri Breindl. Ad talia facienda facultates officiales ab

71 P. Martinus Malter in epistulā die 27 m. Apr. a. 1927 ad Thomam Spreiter directā (ASO, Z.3.0.1) praeter alia commemoravit annum lucrum merum, quod P. Ludgerus indicaverat (Prior hōc locō scripsit de 600.000 marcarum). Sequitur dictum hoc: «*Mi cor, quae plura desideras!*» Haec verba tamen non sonant ut purum gaudium, sed potius ut ironia, imprimis quia adiunxit: «*Nihilominus sollicitudinem anxiam repellere non valeo et hanc rem Deo precibus commendare pergam.*» (Textus originaliter Theodiscus).

72 Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1958), p. 3 (ASO, A.4.2) putat illud suffragium diei 12 m. Nov. a. 1928 habuisse momentum definitivum.

73 Cfr. Norberti Weber scriptum die 12 m. Nov. a. 1926 ad Rudolfum von Leuzendorf directum (ASO, A.4.2). - Frumentius RENNER: Norbert Weber. In: Adolf LAYER (ed.) (1976), p. 344 falso indicat annum 1927^{um}, quo contractus praevious sic dictus initus sit.

74 Hae sunt illae 1,2 milliones marcarum, quae ut pecunia credita sunt assumpta et pro quibus Archiabbatia cautionem praebuerat.

75 Scitū dignum hōc in conexū aliud quōque propositum est. Si enim emptionis summa in sex milliones scellīnorum minueretur, «Culturalis Societas» reliquos 3.000.000 scellīnorum, qui summā praeviā et «pretio naturali» detractis remanserunt, intra sex septimanas pecuniā numeratā solvere voluit. Interrogandum tamen est, unde hanc summam pecuniae numeratae sumere voluerint.

Archiabbate praesideque primario Societatis ei traditae erant.⁷⁶

Propter summam tam magnam, quae ad praedium silvestre emendum necessaria erat et quae ut pecunia credita assumenda erat, Archiabbas praeterea coactus erat, ut permissionem aeris alieni contrahendi a Congregatione Religiosorum peteret. Congregatio autem Religiosorum ob magnitudinem summarum praeter assensionem conventūs Ottiliensis etiam assensionem Abbatum Assistentium postulavit. Mirum in modum et Abbas Placidus Vogel et Abbas Coelestinus Maier emptioni assentiebantur.⁷⁷ Quamquam in declaratione suā asseveraverant se diligenter in rem incubuisse,⁷⁸ hoc videlicet non fecerant. Abbas Placidus Vogel in documenta, quae ei praebita sunt, non inquisiverat atque alia documenta non postulaverat et tamen declarationem assensionis subscripserat. Abbas Coelestinus Maier subscripsit, quia

76 Archiabbas Norbertus Weber iam Kal. Sept. a. 1926 P.ri Ludgero Breindl has «Facultates generales» tradiderat: *«Ego, Dr Norbertus Weber O.S.B, Archiabbas Ottiliensis Consociationis missionariae Sancti Benedicti in loco Sanctae Ottiliae siti munere praesidis primarii «Culturalis Societatis Tragoessianae» in loco Oberort-Tragöss sitae fungens his verbis secundario praesidi huius Societatis R. Patri Ludgero Breindl O.S.B. Ottiliensi facultates non determinatas trado, quibus omnibus in rebus Societatis supradictae vices meas gerit.*

Ei generaliter totum régime atque administrationem Societatis trado. Imprimis potestas ei datur, quā Societatem ante omnia tribunalia magistratūsque atque erga homines quōque privatos repraesentare et pro Societate omnes actiones iuridicas omniaque negotia iuridica exercetur, in quibus vices gerere secundum legem omnino licitum est.

Approbo etiam omnia, quae mandatarius usque nunc in favorem Societatis iam fecerat.» (Textus originaliter Theodiscus).

Hae facultates erant amplissimae, quibus Norbertus Weber paene totum munus suum praesidis primarii «Culturalis Societatis» P.ri Ludgero Breindl tradidit. Certe ipse sic quodammodo a laboribus exoneratus est, a responsabilitate rei tamen non revera liberatus erat. Sed interrogandum est, cur tale mandatum omnino necessarium fuerit, cum condicio vicegerentis et iura cum eādem coniuncta iam in Statutis Societatis (§ 5 A) clare definirentur.

Ceterum Hartmut MADL (1999), p. 245 per errorem scribit has facultates speciales P.ri Ludgero Breindl die 30 m. Iul. a. 1927 traditas esse.

77 P. Martinus Malter in epistulā suā die 27 m. Apr. a. 1927 ad Thomam Spreiter directā (ASO, Z.3.0.1) scripsit Congregationem Religiosorum assensionem Abbatum Assistentium quōque postulavisse, sed clare expectandum fuisse eosdem huic rei non esse assensuros, quā de causā res Tragoessiana transacta fuisset (saltem ad tempus). Videtur ergo etiam Prior P. Martinus Malter totam condicionem non revera perspectam habuisse.

78 Cyrill SCHÄFER (2005), p. 147, adn. 316 affert textum hunc: *«Notitiis accurate captis atque documentis inspectis ex optimo animi iudicio emptionem praedii silvestris commendare possum.»* (Textus originaliter Theodiscus).

Abbas Placidus iam subscripserat et quia putaverat eundem rem probavisse.⁷⁹ Est iam aliquatenus mirum quam socorditer atque indeliberate viri, quibus revera experientia erat, aes alienum tam magnum contrahendum tractaverunt.⁸⁰

P. Ludgerus Breindl ipse Romam vectus est, ut ibidem licentiam Congregationis Religiosorum curaret.⁸¹ Itaque ad P.rem Gabrielem Locher, secretarium Abbatis Primatis, se convertit. Bene ēvēnerat enim, ut Fidelis von Stotzingen modo in Brasiliā versaretur. P. Ludgerus ergo P.rem Gabrielem rogavit, ut propositum suum sustentaret. Ei etiam contigit, ut animum secretrarii cogitationi emptionis conciliaret, quā de causā concomitans atque adjuvans rem apud Congregationem Religiosorum commendavit.

P. Ludgerus Breindl nonnulla documenta secum Romam attulit, praeter assensionem Abbatum Assistantium etiam petitionem officialem Archiabbatis.⁸² Scitū autem digna sunt argumenta illius petitionis. Primo enim Archiabbas explicuit scopum totius incepti, id est Congregationem Ottilien-

79 Cfr Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 8 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1). Chrysostomus Schmid commentarium condicionis exhibet scribens Abbates Assistentes demum effecisse, ut tota actio fieri potuisset. Et adiunxit: *«et hōc quidem sine probatione, cum probare potuissent; possibilitas, quae conventui Ottiliensi denegata erat.»* (Textus originaliter Theodiscus). - Cfr etiam Cyrill SCHÄFER (2005) p. 147. - Frumentius RENNER: Norbert Weber. In: Adolf LAYER (ed.) (1976), p. 344 et Hartmut MADL (1999), p. 244 solum factum subscriptionis Abbatum Assistantium adnotant, sed ad ipsam rem commentarium non dant.

Johannes MAHR: Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 166 falso scribit Abbates Assistentes contractum ipsum subscripsisse.

80 Abbas Placidus Vogel postmodum se purgare conatus est dicens se fallaciis ad subscribendum seductum esse. - Cfr Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), S. 8 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1). Epistolā quādam die 22 m. Apr. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen missā (ASA, APr 425) Abbas Placidus Vogel rogavit, ut originale documentum assensionis ad tempus ei remitteretur, quia adhuc putavit illā in re non omnia bene se habuisse. - Si P. Ludgerus Breindl erga Abbatem Placidum revera fallacia quaedam adhibere conatus erat, tamen Abbas Assisitens ab responsalitate suā inquirendi probandique non erat liberatus.

81 Cfr Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1958), S. 7 (ASO, A.4.2); Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), S. 2 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Cyrill SCHÄFER (2005), p. 147.

82 Cfr Norberti Weber petitio ad Congregationem Religiosorum directa (1927) (ASO, A.4.2). Documentum originaliter Latine conscriptum est. Tamen dies non adscriptus est. Sed suspicari possumus idem verisimiliter medio mense Iulio vel in fine mensis Iulii a. 1927ⁱ exaratum esse.

sem praedium lucrosum quaerere, ut indigentis urgentibus imprimis missionis satisfacere posset.⁸³ Deinde descripsit occasionem, quā praedium silvestre Tragoessianum acquiri posset. Valorem aestimatum esse 17.000.000 marcarum, pretium emptionis 3.600.000 marcarum indicavit (ad quod pretium accederent 400.000 marcarum tributum translationis). Exstare ergo indigentiam 4.000.000 marcarum. Mirum est etiam Congregationem Religiosorum hac differentiā summarum non attentam esse factam. Ipsa petitio tunc refert ad indigentiam pecuniariam, id est Archiabbatiae aes alienum 1.600.000 marcarum suscipiendum esse et eam hypothecae nomine 2.400.000 marcarum praedium silvestre obligare velle. Norbertus Weber nihilominus asseveravit Archiabbatiam hōc aere alieno non in periculo versari, cum bona eius temporalia aestimarentur esse 5.600.000 marcarum. Archiabbas deinde iterum assensionem conventūs atque Abbatum Assistentium⁸⁴ ad emptionem atque aes alienum contrahendum commemoravit. Praeterea - ut scripsit - omnia diligenter respecta esse, ut periculum Archiabbatiae vitaretur.⁸⁵ - Revera Congregatio Religiosorum die 2^o m. Aug. a. 1927^o permissionem aeris alieni contrahendi praeiit.⁸⁶

Conspicuum hac in petitione mihi esse videtur Archiabbatem Norbertum Weber permissionem et pecuniae creditae et hypothecae in praedium silvestre ponendae petivisse. Hōc revera significat illas ex constructione separatas personas iuridicas, nempe «Culturalem Societatem» et Archiabbatiam, tamen ita separatas non fuisse. Aliter «Culturalis Societas» ipsa hypothecam, quā praedium silvestre obligaretur, curare debuisset (quod praedium officialiter sub eius nomine emeretur administrareturque), sed non permissionem apud Congregationem Religiosorum petere debuisset, cum «Culturalis Societas» non esset fundatio monastica. Hac petitione Archiabbatia responsalitatem omnium debitorum suscepisse videtur.

83 Hōc locō praeterea explicuit dona fidelium propter oeconomicas condiciones prementes tantummodo parcissime afferri.

84 Norberti Weber petitio ad Congregationem Religiosorum directa (1926) (ASO, A.4.2): *«similiter et Revmi Abbates Assistentes consensum suum libenter dederunt, ut patet ex adiectis foliis»*. (Textus originaliter Latinus).

85 Norberti Weber petitio ad Congregationem Religiosorum directa (1926) (ASO, A.4.2): *«adhibitis omnibus cautelis ne res temporales monasterii nostri ex dicta emptione ac contractione debitorum in periculum vocentur.»* (Textus originaliter Latinus).

86 Cfr Congregationis Religiosorum permissio die 2 m. Aug. a. 1927 data (ASO, A.4.2). Subscriptum est documentum a Cardinale Camillo Laurenti, Praefecto Congregationis Religiosorum.

Congregationis Religiosorum permissione ad aes alienum contrahendum tamen ipsa pecunia, quā pretium solvi posset, nondum aderat. Hac condicione denuo unum ex problematis principalibus incepti Tragoessiani (aliis nondum respectis) manifestatur, nempe Ottilianos praedium magnum emere voluisse neque eos ullam pecuniariam summam capitalem propriam habuisse, quae statim ad solvendum adhiberi potuisset.

Primo responsales cogitaverunt Monacensem officinam lignorum tractandorum Hörsch sponsonem 400.000 marcarum daturam esse,⁸⁷ quae venditione ligni, quam illa officina suscipere parata erat, paulatim solveretur.⁸⁸ Sed etiam hac in re videlicet difficultates exortae sunt,⁸⁹ quā de causā tota res denique in irritum cecidit.

Propter difficultates, quibus pecunia ad emptionem necessaria acquireretur, et fortasse etiam propter cognitionem paulatim exorientem, quā intellegeba-

87 Optatus PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöb (1945/46), S. 1 (ASO, A.4.2) scripsit originaliter totum pretium emptionis sub condicione, qua lignum suppeditaretur, ab hac officina erogatum iri. Tamen haec opinio cum compluribus aliis indiciis fontium contemporaneorum non quadrat.

88 Cfr Acta Capituli, 29.6.1927 (ASO, A.3.3.5); epistula Fratrum Hörsch die 8 m. Iul. a. 1927 ad Norbertum Weber directa (ASO, A.4.2); Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1958), p. 6 (ASO, A.4.2).

89 Circuizione praedii silvestris Tragoessiani factā, quam Henricus [Heinrich] Hörsch unā cum P.re Aloisio Seibert instituerat, illa officina primam suam aestimationem retractare coacta erat, Henricus Hörsch deinde non iam putavit generaliter quotannis fructum 40.000 metrorum cubicorum ligni exspectandum esse, sed sub aspectū perpetuitatis tantummodo primis tribus quattuorve annis, deinde solum cum 20.000 sive 25.000 milibus metrorum cubicorum computari posse. - Cfr Heinrich Hörsch: Gutachten, 8.7.1927 (ASO, A.4.2); epistula Fratrum Hörsch die 8 m. Iul. a. 1927 ad Norbertum Weber directa (ASO, A.4.2); epistula Aloisii Seibert die 8 m. Iul. a. 1927 ad Norbertum Weber directa (ASO, A.4.2). P. Aloisius Seibert in epistolā suā adnotationem scitū dignam adiunxit, cum scriberet ex aestimatione Henrici Hörsch apparere quoad praedium Tragoessianum «*aliquid aquae in vinum forte infundendum esse*». (Textus originaliter Theodiscus).

Mirum est relatio Bavaricae Consociationis Possessorum Silvarum (Gutachten des Bayerischen Waldbesitzerverbandes, 29.7.1927 (ASO, A.4.2)), quā critice in aestimationem Henrici Hörsch de fructū praedii silvestris incumbitur. Illius relationis conclusio est haec: «*Eius [i.e. Henrici Hörsch] aestimatio sub aspectu diligentis computationis magistri saltuarii Hümmer, qui ob scientias suas disciplinares et ob experientiam suam auctoritate praeditus est, et sub aspectū relationis administrationis saltuariae Tragoessianae, quam ipse praedii dominus affirmavit, nobis videtur non esse respicienda.*» (Textus originaliter Theodiscus).

Fortasse illa relatio erat causa, cur negotium cum officina Hörsch confici non potuerit, quamquam P. Aloisius Seibert hoc suaserat.

tur illo praedio silvestri non tam magnum redditum acquiri posse, ut spatio temporis relative brevi aes alienum solvi posset, P. Ludgerus Breindl alium emptorem invenire conatus est, qui praedium iisdem condicionibus ac «Culturalis Societas» suscipere vellet.⁹⁰ Tamen hoc ei ex rationibus facile intellegibilibus non contigit. Ex omnibus his causis pecunia Rudolfo von Leuzendorf danda non satis mature ei tradita est et retardatio quaedam facta est.⁹¹ Versisimiliter baro propter hanc condicionem et eā quōque de causā, quod alius emptor quaerebatur, timuit, ne negotium, quod ei erat magni momenti, non iam ad effectum adduceretur. Itaque idem hanc rem advocatis suis tradidit minas quōque de processū instituendo proferens, quia «Culturalem Societatem» ad contractum definitivum ineundum urgere voluit.

Nonnulli eorum, qui saltem breviter in quaestionem Tragoessianam incubuerunt, existimant eventūs sequentes ex hac re explicari, quod contractus praevious, id est emptionis oblatio die 12^o m. Nov. a. 1926^o facta, esset obligatorius atque actione iuridicā effici posset.⁹² Quaestio tamen est, num Rudolfus von Leuzendorf revera querimonia iudices adire voluerit vel etiam valuerit.⁹³ Minis autem suis processūs instituendi Ottilianos talibus in quaestionibus

90 Cfr epistula Martini Malter die 27 m. Apr. a. 1927 directa (ASO, Z.3.0.1).

91 Quamquam illa 1,2 milliones marcarum verisimiliter ex pecuniā creditā a Monacensi argentariā datā iam aderant.

92 Cfr Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1958), S. 4 (ASO, A.4.2); Optatus PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöß (1945/46), S. 1 (ASO, A.4.2); Frumentius RENNER: Norbert Weber. In: Adolf LAYER (ed.) (1976, p. 344.

93 Non respectā deliberatione, num «oblacione emptionis» diei 12 m. Nov. a. 1926 actum sit sensū iuridico de contractū praevio, alii quōque aspectūs exstant. Cum putetur fuisse contractus praevious, deliberanda sunt haec: Contractus quidam praevious formā contractūs principalis iniendus est, id est ante tabellionem*, cum aliter non sit validus. Praeterea contractū praevio obligatio provenit, quā contractus principalis ineundus est, cum condiciones contractūs praevis expletae sunt. Tamen contractus praevious resolvitur, cum eius condiciones non explentur. Postulata ex contractū praevio exorta extinguuntur, cum sive una factio obligationes suas non explet et altera itaque re se abdicat, sive cum apparet fieri non posse, ut obligationes expleantur.

Nonnulla autem horum factorum videntur ad Tragoessianum contractum praevious sic dictum adhiberi posse.

Hōc in conexū gratias ago plurimas Prof.ri D.ri Iohanni Paulo Bauer pro explicationibus proficientibus hac atque in aliis quaestionibus iuridicis.

*) tabellio, -onis m.: *Notar.* Cfr Cod. Theod. 9,19,1. - Cfr etiam Christian HELFER: Lexicon Auxiliare. Saarbrücken ³1991, p. 399; Johannes Paul BAUER (2008), p. 333.

non ita peritos facile premere valuit. Id quod videlicet ei etiam contigit.⁹⁴ Nam postquam die 29^o m. Iun. a. 1927^o conventus Ottiliensis denuo de re Tragoessianā suffragium tulit,⁹⁵ die 26^o m. Aug. a. 1927^o definitivus contractus emptionis initus est, denique dodrante anno post contractum praeivum sic dictum.⁹⁶

Contractus definitivus inter «Culturalem Societatem Tragoessianam» et baronem Rudolfum von Leuzendorf iunctus est.⁹⁷ In initio scilicet enumerantur



Regio Jassing in praedio silvestri sita, quae etiam erat regio venatoria.

[ASO, A.4.2]

omnes areae ad praedium silvestre pertinentes, quae indici fundorum inscriptae erant. Summae autem pecuniariae, quae pro toto praedio atque pro partibus in contractū constitutis solvendae erant, paulo differebant ab illis in contractu praevio sic dicto allatis. Denique totum pretium constitit 6.296.500 scellīnorum,⁹⁸ ex quibus 1.996.500 scellīnorum iam ante contractum subscriptum pecuniā numeratā baroni erant solvendi.⁹⁹ Restabat ergo summa

94 Cyrill SCHÄFER (2005), p. 148 animadvertit numquam de recessū ex contractū deliberatum esse. Itaque idem quōque existimat hōc generaliter fieri potuisse.

95 *Cfr* Acta Capituli, 29.6.1927 (ASO, A.3.3.5).

96 Contractum definitivum etiam commemorant Hartmut MADL (1999), p. 244; Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter 2 (²1992), p. 38, qui tantummodo annum 1927^{um} indicat. - Optatus PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöß (1945/46), p. 1 (ASO, A.4.2) per errorem diem 26 m. Aug. a. 1928 exhibet.

97 *Cfr* emptionis contractus diei 26 m. Aug. a. 1927 (ASO, A.4.2).

98 Erant secundum illius temporis transnumerationem 3.714.935 marcarum.

99 Hic modus progrediendi iam in contractu praevio sic dicto provisos erat.

4.300.000 scellīnorum. Ex illā summa 4.000.000 scellīnorum unā cum usuris reddenda erat, ex quibus iterum 2.000.000 scellīnorum pecuniā numeratā solvendae erant, tamen renuntiatione venditoris factā si maturissime in fine



Domus venatoria Jassing, quae adhuc exstat.

mensis Februarii a. 1931¹. Altera pars duorum milionum scellīnorum pensionibus semestribus solvenda erat, et quidem hunc in modum, ut minimum 40.000 scellīnorum praebenda erant. Valebat autem reddendi tempus quindecim annorum. Illa vero summa pecuniaria, quae tunc adhuc restabat, pecuniā numeratā solvenda erat.¹⁰⁰

Ex totā summā tunc tamen restabant 300.000 scellīnōrum. Haec reliqua pars modo speciali reddenda erat. Nam «Culturalis Societas» Rudolfo von Leuzendorf eiusque heredibus inde ex die possessionis traditae in triginta annos venationem exercendam fructumque inde capiendum toto in praedio commisit.¹⁰¹ Sic fictivum pretium conductionis annum 10.000 scellīnorum existimabatur. Tales contractūs clausulas assumptas esse et insuper per tam magnum spatium temporis revera vix credibile est. Nam hunc in modum novi

100 Quaedam speciales clausulae praeterea in contractū inveniuntur. Sic ex.gr. venditori, cum usurae non in tempore solvebantur, usuras usurarum poscere licuit. Si usurae sex mensibus, postquam tempus solvendi fuit, nondum unā cum usuris usurarum solutae essent, venditori ius erat, quo totam summam 4.000.000 scellīnorum solvendam declararet atque iudices hanc ob rem adiret. Alterā ex parte emptori licuit intra temporis spatium quadrantis anni renuntiare et deinde totam summam adhuc restantem insimul solvere.

101 Ad hōc accesserunt nonnullae praestationes speciales, velut praebitio ligni, gratuitus usus telephoni et sic porro.

possessores sibimet ipsis occasiones pecuniae accipiendae et insuper ius libere in praedio agendi dempserunt.



*Domus tutelar, quae «Sonnschien» appellatur
et quae quōque ad praedium silvestre pertinebat.
[ASO, A.4.2]*

Subscripserunt autem hunc contractum definitivum P. Ludgerus Breindl et P. Aloisius Seibert.¹⁰² Sic praedium silvestre Tragoessianum in possessionem «Culturalis Societatis» transierat.¹⁰³ Sed promissa felicitas pecuniaria non evēnit, e contrario, problemata maiorabantur.

SIGRIDES ALBERT

[Vox Latina 217, 2019, pp. 329-353]

102 Archiabbas inde ex die 5 m. Aug. a. 1927 in itinere Argentiniano erat et denique in fine mensis Octobris revertit. - De itinere in Argentiniam facto eiusque scopo *cfr* supra cap. 4.10.2.2.2. et Norbert WEBER: Reisetagebuch Argentinien 1927 (ASO, A.1.8.1).

103 De fundatione «Culturalis Societatis Tragoessiana» deque emptione praedii silvestris referebatur etiam in «*Paginis missionariis*». Tamen sententiae ibi prolatae non nimis euphorice sonant et partim non omnino correctae sunt. Sic legitur ex.gr. «*monasterium Ottiliense in praedio silvestri emendo non participavisse neque participare potuisse, quia nullam pecuniam pro hac re erogare potuisset*». Nihilominus in illā relatione recte nuntiabatur «*Culturalem Societatem*» «*diuturno tempore omnino occupatam fore, ut onus debitorum suorum non parvum ex emptione exortum ex fructibus praedii silvestris solveret*». (Textūs originaliter Theodisci). - *Cfr* Alois SEIBERT: Kulturverein Tragöß zur Förderung des Missionswerkes von St. Ottilien. In: Missionsblätter 31, 1927, pp. 319 sq.